



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiārvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quibus modis accipitur indulgentia. D

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

coniugium. Indulgentia vero, quia meliora non  
eligit, remedium habet, non præmium: à qua si  
quis declinauerit, meretur exitiale iudicium. Quod  
secundum indulgentiam conceditur, voluntarium  
est, non necessarium: alioquin transgressor esset,  
qui illud non faceret. Et potest sane intelligi illud  
sub præcepto dictum hominibus primis ante pe-  
ccatum. Crescite & multiplicamini. Quo eriā post  
peccatum tenebantur, vñq; quo est facta multipli-  
catione, postquam secundum indulgentiam, matrimo-  
nii cōtractus fuit. Ita etiam post diluvium, quo v-  
niuersum penè humanum gen<sup>o</sup> deletum est, secun-  
dū præceptum dictū est filiis Noe, Crescite & mul-  
tiplicamini. Multiplicato vero homine, secundum  
indulgentiam contractū est, nō secundum imperium.

*Quibus modis accipiatur indulgentia.* D

Indulgentia autem diuersis modis accipitur, sc.  
pro concessione, pro remissione, pro permissio-  
ne: & est permissio in nouo testamento, de mino-  
ribus bonis & de minoribus malis. De minoribus  
bonis est cōiugium, quod non meretur palmam,  
sed est in remedium. De minoribus malis, id est, de  
venialibus est coitus, qui fit causa incontinentie.  
Illud scil. coniugium, indulgetur, id est, concedes-  
tur. Illud vero, id est, coitus talis, permittitur, id  
est, toleratur, ira quod non prohibetur.

*Quod nuptiae sint bona.* E

Fuerunt autem nonnulli hæretici nuptias dete-  
stantes, qui Tatiani appellati sunt. Hi nuptias o-  
mnino damnant, ac pares fornicationibus aliisq;  
corruptionibus faciunt: nec recipiunt in suorum  
numero, cōiugio vtentem marem vel foeminam.  
*Quod autem res bona sit coniugium, non modo*  
ex eo probatur, quod Dominus legitur cōiugium  
instituisse inter primos parentes, sed etiam quod  
in Cana Galileæ nuptiis interfuit Christus, easque  
miraculo commendauit, aqua in vinum cōuersa.

Qui

*Gen. 1. d*

*Gen. 9. b*

*August. ad  
quod vult  
Deum, de  
heresib. cap.  
25. in to. 9.*

*Gen. 2. d*

*Ioan. 2. a*

*Matth. 19. b*